

seriam meditationem extimulentur: de mirando huius incarnationis filii Dei mysterio, eiusque utilitate sæpe verba facere utilissimum est. Simile exemplum à tempore est in Declamationibus Melanchthonis. Tom. 4. fol. 283.

2. Exemplum à persona dicentis.

a Expositio. *a* Intellego equidem me neque satis ingenii, neque dicendi facultatem, neque rationem ullam ab optimarum artium studiis profectam ad dicendum adferre posse. **b Ratio.** *b* Nisi enim mihi tantam & virium & ingenii imbecillitatem fatear inesse, **c Redditio.** *c* Verum hic, uti spero, non tam excellens eruditio, quam animus discendi cupidus spectatur; neque hic certatur exquisita aliqua eloquentia, sed iuuenilis laudatur conatus & exercitatio. **d Comprobatio.** *d* Neminem itaque tam iniquum aestimatorem fore existimo qui hoc meum institutum reprehendere velit.

3. A Persona auditorum.

a Expositio. *a* Quoties ego hos lectissimorum virorum & iuuenum conuentus aspicio: non possum non singulari quadam voluptate affici. **b Ratio.** *b* Quid enim in hac vita homini studioso potest contingere iucundius, quam tales cœtus virorum insigni pietate, virtute & eruditione præstantium, tum etiam virtuti ac optimarum disciplinarum studiis consecratam iuuenum intueri coronam: quorum illi sua auctoritate, officio & industria sanctissimum Ecclesiæ ministerium & præclaras Philosophiæ artes, quibus Respub. & societas humana carere non potest, conseruant & sustentant: Hi vero tanquam furculi sunt & plantæ, quibus arcentissimi illi Academiæ, Scholarum, Ecclesiarum, Rerumpub. paradisi, imo mundus vniuersus propagari & conseruari debeat. **c Comprobatio.** *c* Quare singulare agnoscamus esse beneficium ipsique gratias agamus, quod tales docentium & discipulorum conseruet cœtus, ipsumque rogemus ut firma deinceps concedat Ecclesiæ suæ halcyonia, seruetque horum hospicia, politias, scholas quoque & Academiæ quæ fontes & matres sunt omnis pietatis & honestorum studiorum clementer tueatur.

4. Ab Effectu.

1. *Admiratione*, ut pro Roscio Amerino. Credo ego vos iudices mirari quid causæ sit, quod cum tot homines sedeant ego potissimum surrexerim, qui neque ætate neque ingenio, neque auctoritate cum iis qui sedeant sim comparandus. Item in Orat. in Q. Cælium.

2. *Dolore & perturbatione aliqua*, ut in Orat. pro Deiotaro: Cum in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi commoueri soleam vehementius, quam videatur vel usus vel ætas mea postulare; tum in hac causâ multa me perturbant, &c. Simile exemplum est in Orauione pro Milone.

3. Pre-